



170

1. H

n

2. H

3. H

H

1761

1. H

a

2. H

n

ci

3. H

4. H

A



Part. num. 6.

DISSERTATIO IURIDICA INAUGVRALIS
DE

VNO EX PLVRIBVS LITIS
CONSORTIBVS SVO, NON
SIMVL ALIENO NOMINE
AGENTE,

1766, 1.

QVAM

17

DEO CLEMENTER IUVANTE
PERMITTENTE
INCLYTO IURISCONSVLTORVM ORDINE,
PRAESIDE

EBERHARDO CHRISTOPH. CANZ,

P. 465

PHILOS. ET V. I. D. HVIVSQUE PROF. PVBLICO ORDINARIO,
SERENISS. DN. DVCS WVRT. CONSILIARIO,
FACVLTATIS IURIDICAE h. t. DECANO,

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CAPESSENDI

D. XXX. SEPT. A. MDCCLXVI.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

IOANNES BAPTISTA BVRCKHARDT, *Rotbwilensis.*


TVBINGAE, typis LVDOV. FRIEDR. FVESII.



DISERTATIO JURIS INVENIENS
DE
VINO EX PLURIBUS LITIS
CONSORTIIS SVO KON
SIMUL ALIENO NOMINE
AGENTE

DEO CLEMENTER LVAATE
VERMILLENTE
INCLITO IVRISCONSULTORVM ORDINE
PRAESIDI

RICHARDO CHRISTOPH CANZ.
FACULTATIS IURIDICAE DE DECANO
PRO LICENTIA
VIMORVM IN VITROQUE IVRE HONORAT
LITTE CASSERENDI
D. X. FEBRUARII MDCCLXXI
H. L. G. S.
JAMES RATTSTADT RICHARDT
TYMONT. P. D. D. L. S. P. D. L. S. P. D. L. S.





Q. D. B. V.

§. I.

INTROITVS.

Praeticum atque Processuale meditans argumentum, quale nimirum Nobiliſ. Dn. **RESPONDENS**, iuaſu Patronorum ſibi expetierat, in mentem mihi venit illud, cujus in Diſputatione mea inaugurali: *de Adcitatione tertii ad Litem* mentionem feci, ſcil. *de uno ex pluribus Litis Conſortibus ſuo non ſimul alieno nomine agente*, quod, licet, per univerſam Jurisprudentiam diſperſum ſit, & ideo prolixioſiorem, quam quidem hac vice & temporis & ſpatii ratio permittit, diſcuſſionem mereatur; primas tamen ejus lineas tradere, & ipſum Argumentum, quantum quidem fieri poſſet, ad ſua principia revocare mecum conſtitui, quorum deinde applicatio ad ſingulos caſus non adeo difficilis eſſet. Argumentum, quantum quidem ſcio, à nemine haecenus ſpeciatiim pertractatum, eo magis tamen neceſſarium eſt, atque inſigni ſua utilitate commendabile, quo magis in eo verſatur, ut determinet, an & in quantum Actori jus agendi competat, quod, ſi ignoretur, nec Judex, nec Actor, nec Reus in Judiciſio quicquam profecerit a).

A 2

*) Non

- a) Non igitur immerito Reorum Advocati, si nihil habeant, quod competentia fori opponant; primo dispicere solent, num Actoris Actio competat, vel in quantum competat, hoc igitur, ne frustra laborent, cognitum habeant, necesse est. CARPZOV. L. 2. tit. 5. Resp. 59. n. 1. LAVTERBACH. Cons. Tub. Vol. I. Conf. 56. n. 12.

§. II.
EXPONITVR THEMA.

Nobis jam non cum jure agendi Actoris in genere rem esse, sed Thema nostrum potius circa jus agendi unius ex pluribus Litis Consortibus occupatum esse, vel ipsum Dissertationis nostrae rubrum docet. Neque etiam de eo nobis jam laborandum esse, an & quousque unus ex pluribus Litis consortibus pro reliquis in judicio comparere, & simul pro his actionem movere queat, ex mandato presumto, a) ex eo patet, quod rubrum nostrum unum ex pluribus consortibus suo non simul reliquorum nomine agere supponit.

- a) Consortes enim Litis post L. C. praesita cautione rati pro reliquis simul ex mandato presumto agere & comparere posse, neminem latet. *L. ult. C. de Consort. ejusd. Lit. §. Pr. Wurt. P. I. tit. 16. §. Item ein Ehemann &c. p. 86. Ord. Dic. Wurt. P. I. tit. 8. §. 14. MEVIVS P. 3. Dec. 99. STRYK. U. M. tit. de Procur. §. 44. & tit. rem. rat. haberi. §. 2.*

§. III.

QVINAM DICANTVR LITIS CONSORTES.

Consortium in genere societatem & communionem denotat, a) sic fratres dicuntur Consortes, non diviso patrimonio. b) Illi igitur dicuntur Litis Consortes, quibus communia sunt jura, vel vice versa communes obligationes. c) Vel, cum nobis heic de Actore consorte sermo sit, Consortes hoc loco, sunt, quibus unum idemque numero jus una eademque numero Actio competit. d) Ex qua descriptione jam facile erit judicatu, non omnes

omnes, qui nonnunquam in sensu aliquo latiori consortium nomine veniunt, veros esse Litis Consortes, nec omnes Litis Consortii effectus ad eosdem adplicari posse. Licet igitur aliquis fundamento agendi simili & ejusdem generis, cum altero nitatur, si tamen non sit numero idem jus vel eadem Actio, proprie nostro sensu, Litis Consortes dici nequeunt. Multo minus illi, qui plane ab altero specie diversum habent jus agendi, recte huc referuntur, minime quoque jus agendi circa aliud plane objectum versatur, vel ubi diversa plane fundamenta sunt agendi & diversa objecta simul.

a) L. 52. §. 8. ff. pro socio L. 5. C. de L. Rhod. de jactu. L. 1. ff. de R. N. L. 4. C. de Castr. pecul.

b) L. 41. §. ult. ff. de Excusat. add. PLINIVS L. VIII. Ep. 18.

c) RIVINVS Spec. Except. for. c. 9. n. 1.

d) Hinc Varro L. V. de Ling. lat. Consortes appellat, quibus una fors est. Quoad effectum enim eandem inter se sortem habent. Licet enim res forte judicata alteri consortium regulariter non possit nocere, nisi rem suam agi sciverit & passus sit, cum alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat, L. 15. §. 2. L. 16. pr. ff. de inoff. test. arg. L. 1. C. de Consort. ejusdem lit. LEYSER. Spec. ad ff. 472. n. 3. Cum tamen idem supponatur jus agendi, si alter in facto nihil omiserit, parum praesidii ex nova Lite sibi polliceri poterit alter Litis Consortium.

§. IV.

QVINAM MINVS RECTE HVC REFERANTVR.

Cum igitur huc referri non possint illi, qui non idem numero jus habent licet ceteroquin ejusdem generis sit; facile adparet v. g. tum cum agitur de commodo quodam ad cives pertinente, licet nonnunquam tota Universitas agere possit, nonnunquam etiam plures ex eodem fundamento agant; hos tamen proprie non dici posse Litis Consortes, cum quilibet singulare ac sibi soli competens fundamentum agendi habeat, hinc & quili-



quilibet privatus solus agere possit, a) nec etiam uni fortè agenti obstat Exceptio plurium Litis Consortium. Neque semper huc referri poterit interveniens, siue necessarius, siue voluntarius, b) & hic siue principaliter interveniat, siue minus principaliter. Quod enim adinet ad interventionem necessariam, in illa supponitur, si quidem ex parte Actoris aliquis adicitetur, plerumque, ut separatum jus agendi, quandoque vel ipso genere à jure Actoris diversum sibi arroget, quo utrumque litigantium excludere contendit, hinc & sæpe ut hi magis tuti sint, illum aditari curant. c). Interveniens autem voluntarius, si principaliter talis sit, licet sponte sua ad litem accedat, separatim tamen pariter & distinctum, immo quandoque etiam genere differens jus habere contendit, adeoque Litis Consortis loco haberi minime poterit. Idem & de Interveniente minus principali dicendum est; nam licet hic alterutri litigantium in iudicio adfistat, d) habet tamen jus agendi & liti sese immiscendi plerumque plane diversum à jure principalium litigantium, adeoque nec hic per se Litis Consortibus, proprie talibus, regulariter adscribi poterit, nisi per accidens Litis Confors sit. e) Minime vero huc pertinent illi qui plane plerumque diversum & toto genere differens fundamentum agendi habent, quod simul ad aliud plane objectum tendit, quod plerumque accidere solet in pluribus Creditoribus in Concursum Creditorum, quorum quivis singularem, sæpissime generice distinctam Actionem habet, cujus insuper regulariter aliud plane objectum est, nisi quoque per accidens aliquando nonnulli eandem numero actionem habeant; adeoque regulariter etiam nulli Creditorum Exceptio plurium Litis Consortium opponi poterit.

- a) Quo ex parte referri possunt Actiones populares, cuivis ex civitate competentes. L. 1. ff. de popul. act. vel & illa jura, ex quibus commodum ad privatos pertinet.
- b) Aliam enim interventionem esse necessariam aliam voluntariam asserit BRUNNEMANN. Proc. Civ. c. 13. n. 1.
- c) GAIL. L. 1. Obs. 70. n. 27. DD. SCHOEFFF. Proc. Dic. Wurt.

Wurt. c. 12. §. 3. Ego Disp. de Adcit. tertii ad Litem. §. 5.
21. 22.

d) SCHERER. Disp. de Intervent. tertii. §. 4. SEYFARTH.
in dem T. R. Proceß. L. 2. c. 1. §. 2. ESTOR. *in dem T. R. Pro-*
ceß. sect 82. §. 2235. DD. SCHOEPPF. Proc. Dic. c. 12.

§. 4. 5. LVDOVICI. *Einleitung zum Civil Proceß.* c. 37. §. 3.

e) Aliquando enim etiam ipsum aliquem Litis Consortem interve-
nire posse nemo dubitaverit; ponamus enim verum Litis Con-
sortem ab initio litis tacuisse, postea autem, melius forte edo-
ctum ad litem accedere velle, nihil obstabit sane, quo minus
interveniat & alteri Consorti in Lite adsistat. Contra vero mi-
nus principaliter intervenientem sapissime fundamentum plane
diversum à litigante cui adsistit habere posse, si forte ex alia
causa ejus intersit, nemo negaverit.

§. V.

FIT TRANSITVS AD THEMA IPSVM.

Quod si jam propius ad nostrum Thema accedamus; nobis
erit determinandum, an & quatenus unus ex pluribus Litis Con-
sortibus agere possit quatenus agere non possit, quem in finem
certæ Regulæ erunt efformandæ, quæ deinde singulis casibus
obvniens, facile, opinor, adplicari poterunt. Neminem
obvniens esse, vel ipsa sana ratio unumquemque docet. Jam
vero illum, qui alterius jura sibi arrogat, alterum lædit sine du-
bio, ergo regulariter nemo alterius jura in judicium deducere
potest. Probant naturale hoc ratiocinium Leges Positivæ, probant
Practicorum enunciata, neminem tertii jura in judicium
deducere posse affirmando. a) Idem fuit ex ipsa Actionis, ci-
vilis certe, definitione, quæ dicitur jus persequendi in judicio,
quod nobis debetur. b) Unde & ille, ad quem plane non per-
tinet jus, de quo quaritur, non habet Actionem, nec hanc,
certe non proprio nomine, in judicium deducere potest, alio-
quin ipsi recte opponeretur Exceptio legitimationis ad Causam, c)
quæ tantæ in LL. efficacæ est, ut ejus etiam ab adversario non
oppo-

agenti
Temper
volun-
s prin-
ariam,
itetur,
so ge-
ne liti-
ti sint,
ius, si
epara-
gene-
rtis lo-
s prin-
n judi-
scendi
adeo-
gulari-
Mi-
um &
simul
folet
n qui-
babet,
uoque
m ha-
ceptio
ex ci-
a, ex
ariam
Dic.
Wurt.



opposita à iudice vel ex officio ratio habenda sit, *d*) & neglecta totum Processum retro nullum reddat, *e*) & ideo quovis tempore, & in ipsa adhuc Executione recte opponatur. *f*) Est enim suo modo Exceptio Actionis non competentis, *g*) qua deficiente nemo in iudicio experiri potest. *h*)

- a*) Exceptio enim: Tua non interest, omnem agentem à limine, ut ajunt, iudicii repellit. L. 38. §. 17. ff. de V. O. BRUNNEMANN. Proc. Civ. c. 16. n. 19. MEVIUS P. I. Dec. 106. n. 5. B. D. HARPPRECHT. Cons. II. n. 181. Idem Vol. nov. Cons. 43. n. 220. seqq. & Cons. 90. n. 11. seqq. Idem Resp. 80. n. 142. seqq. FRITSCH. de Jure tertii. Concl. 37. M. D. D. SCHOEFF. Cons. Tub. Vol. VIII. Cons. 26. n. 26. & Cons. 34. n. 21.
- b*) pr. Inst. de Act. L. 51. ff. de O. & A.
- c*) LVDOVICI Disp. de Legitimat. ad causam. §. 3. 14. CARRACH. Disp. de vera Indole Legitimat. ad Caus. §. 9.
- d*) LVDOVICI. d. Disp. §. 50. seqq. nov. addit. & ibi subject. Resp. CARRACH. c. l. §. 10. 15. LEYSER. Spec. ad ff. 201. med. 2. & 4.
- e*) ZANGER. de Except. P. II. c. 8. n. 2. 3. MEVIUS P. II. Dec. 126. P. III. Dec. 148. LVDOVICI c. l. Addit. & subj. Resp. p. 51. n. 9. B. D. SCHWEDER. Cons. Tub. Vol. VI. Cons. 71. n. 17. seqq. CARRACH. d. l. §. 15. ubi hanc exceptionem *ad integritatem* iudicii pertinere affirmat.
- f*) BRUNNEMANN. Tr. de Cels. Act. c. 5. n. 72. MEVIUS P. VII. Dec. 99. n. 2. LVDOVICI d. Disp. §. 49. CARRACH. c. l. §. 13.
- g*) Licet eam ab Exceptione Actionis non competentis distinguat CARRACH. d. l. §. 19. Non enim tum saltem, cum ex aliquo facto non nascitur actio, datur Exceptio Actionis non competentis, verum & tum illa sine dubio locum habebit, cum aliqua Actio in genere quidem competit, at huic vel illi non competit; licet enim in se alicui competat, non vero competat huic, hic sane aequè sine actione agit, ac quidem ille, qui

qui factum in iudicium deducit, ex quo actio non nascitur, vel causa agendi destituitur. Conf. ZANGER. de Except. P. III. c. 20. n. 2. Parum tamen interit, siue hanc Exceptionem ad Exceptionem Actionis non competentis referamus, siue non referamus, quoad ipsos enim effectus principaliores in plerisque hac nostra cum illa convenit. Omnis forte controversia evanesceat, si inter Exceptionem Actionis non competentis generalem & specialem distinxerimus.

b) L. 6. §. 12. ff. de N. G. L. 9. §. 3. ff. de admin. tut. M. D. D. SCHOEFF. Cons. Tub. Vol. VIII. Cons. 113. n. 31.

§. VI.

LITIS CONSORS SOLVS RECTE NON AGIT, QUATENVS AGENDO ALTERI VEL REO INIQUAM CONDITIONEM INFERT.

Cum nemo alteri iniquam conditionem inferre, alteriusque iuribus derogare, adeoque nemo alterius iura in iudicium deducere possit; sponte sua inde fluit, etiam illum, ad quem actio quidem pro parte pertinet, eidemque cum alio communis est, i. e. Litis consortem, eandem regulariter in solidum movere non posse. Pro illa enim parte, pro qua Actio ad alterum pertinet, eadem est aliena, adeoque ab altero non in iudicium deducenda. Hoc ipso enim & alteri consorti & Reo iniquam inferret conditionem, illi, dum ejus iura invaderet, huic, quia Astori solvendo, non liberaretur, & alteri Consortium postea forte agenti, nihilominus teneretur. a) Et huic igitur Litis consorti obstat suo modo Exceptio Legitimationis ad causam pro illa parte, quæ alterius est, vel, uti hoc casu specialius adpellatur, *Exceptio plurium Interventium vel Litis Consortium, sed ex parte Astoris*, distincta ab illa ejusdem nominis Exceptione, quæ datur ex persona Rei. b)

a) Qui enim solvit tertio non creditori, haud recte solvit, adeoque sua solutione non liberatur. §. 10. Inst. mand. L. 8. §. 5. ff. de

B

glecta,
s tem
Est
ua de-

imine,
NNE-
. n. 5.
nov.
Resp.
M. D.
. 6. &

CAR-

bjeet.
201.

P. II.
subi.
l. VI.
exce-

IVS
CH.

quat.
ali-
om-
cum
non
mle,
qui



de novat. L. 11. ff. de R. I. L. 34. §. 4. ff. de solut. B. D. GRASS.
de solut. tertio facta, per tot.

- b) Exceptio enim plurium Litis Consortium, tum ex persona Actoris, tum ex persona Rei locum habere potest, si scilicet Reus conveniendus non sit solus debitor, RIVINVS Spec. Exceptio. for. c. 9. n. 1. seqq.

§. VII.

REGULA I. LITIS CONSORS AGIT PRO SUA
TANTUM PARTE, SI PETIT REM
FUNGIBILEM.

Jam dispiciendum erit de Regulis nonnullis ex priori positione fluentibus. Si Objectum Actionis sint res fungibiles, clarum est, unum Litis Consortem ultra suam partem petere non posse, a) nec etiam debitorem illi ultra ejus ratam recte solvere. b) Nulla enim foret ratio, cur huic petenti totum solveretur; habet etenim saltem jus petendi partem, & cum supponantur res fungibiles, quæ sua natura ita sunt comparatæ, ut altera alterius vice fungatur, & in ejus locum sine cujusvis læsione substitui possit c) nemini interest sive hanc sive illam partem Actor consequatur, adeoque perfecte uterque consequitur, quod suum est. Neuter igitur conqueri potest, non Actor, quia suam ratam consequitur non alter Litis Consort, quia æque suam partem consequitur perfecte, sufficit enim huic si quis tantundem consequatur in eadem bonitate, qualitate & quantitate, nec in rem fungibilem proprie cadit singularis affectio, d) ita ut alterius interesse possit, sive hunc præcise nummum, sive alterum, sive hoc granum frumenti, sive alterum consequatur. Recte igitur in solidum agenti opponitur Exceptio plurium Litis Consortium.

- a) L. 1. §. 36. ff. de pos. ubi ita JCTUS VLPIANVS: „Si pecunia in sacculo signato deposita sit, & unus ex heredibus ejus, qui depositum, veniat repetens, quemadmodum ei satisfiat, videndum est: Promenda pecunia est vel coram Prætoribus, vel in-

„*intervenientibus honestis personis, & exsolvenda pro parte*
hereditaria. add. L. 1. C. de Confort. ejusd. litis. Singulare
 quid est in L. 14. ff. depos. quod illi heredes, quorum est in
 hereditate major pars, hoc casu totum petere possunt, oblata
 cautione idonea.

- b) CARPZOV. L. 5. Resp. 14. LAVTERBACH. Concl. for. Bx-
 erc. 29. th. 18. STRYK. Caut. Contr. Sect. 2. c. 3. §. 3.
- c) L. 2. §. 1. ff. de R. C. pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. L. 1.
 ff. de contrah. emt.
- d) THOMASIVS Disp. de pretio affectionis in res fungibiles non
 cadente.

§. VIII.

REGVLA II. SI PETATUR RES NON FVNGI-
 BILIS, LITIS CONSORS RECTE AGIT IN
 SOLIDVM OBLATA IDONEA CAV-
 TIONE.

Si petatur res non fungibilis, non poterit Consors, par-
 tem suam petere, Reus enim ipsi suam partem restituere non posset.
 Supponitur enim tota res communis, qualibet pars igitur pro
 rata pertinet etiam ad reliquos consortes; &, cum in rebus
 non fungibilibus altera alterius vice non fungatur, alteri Con-
 sorti forte postea agenti, parte restituta, non redderetur, quod
 ipsius est, sed aliud non igitur Reus liberaretur; a) pars igitur
 hoc casu Actori reddi non potest, eo minus, quod divisio rei
 communis singulari iudicio divisorio inter socios instituenda est,
 nec huc pertinet. Cum igitur Actori heic pars sine injuria ab-
 sentium Litis Consortium restitui non possit, ex altero vero la-
 tere nec absentibus plus favendum sit quam presenti & agenti,
 qui scilicet eadem habet jura, neque etiam illorum absentia vel
 aliquando negligentia in agendo presenti & agenti damno esse
 possit, de quodam temperamento cogitandum erat, quo effice-
 retur, ut neutrius juribus derogaretur. Sapienter igitur hoc
 casu LL. Civiles admittant restitutionem totius rei etiam uni

RASS.

personam
 l. Reus
 excepto.

SUA

possi-
 s, cla-
 e non
 solve-
 vere-
 appo-
 e, ut
 is la-
 n par-
 nitur,
 quia
 suam
 dem
 rem
 us in-
 sive
 gitur
 ecu-
 ejus,
 vi-
 vel
 in-



Confortium agenti faciendam, sed ita faciendam, ut absentibus forte & non agentibus jura sua facta tectave conferrentur, cautione scilicet idonea ab Actore præstita, de reddendis reliquis Confortibus suis partibus. *b)* Vel & aliquando Reus hoc casu ipsam rem publice deponere, & hoc modo sese liberare poterit ab Actione, quo facto, ipsi deinde Litis Confortes rem inter se dividere poterunt. Hactenus dicta & tum vera sunt, cum plures res ejusdem speciei, non fungibiles tamen, debentur, v. g. grex ovium, *c)* licet enim cuique assignari posset suus numerus, cum tamen rerum non fungibilium, altera alterius vice non fungatur, absentis Litis Conforti forte non perinde est, siue has siue illas oves consequatur, nec heic numero tantundem semper pretio reliquas æquant, adeoque divisio heic inficio & absente altero, cujus interest, Conforte, institui non posset, minime ab ipso debitore institui posset; *d)* Hoc igitur casu & unus ex pluribus Litis confortibus, oblata cautione totum petit, nec eidem opponi potest exceptio plurium Litis Confortium, nisi ad hunc effectum, ut cautionem idoneam præstet.

a) Aliud enim pro alio recte non solvitur invito Creditori. L. 2. §. 1. ff. de R. Ct L. 16. L. 17. C. de solut. pr. Inst. quib. mod. toll. oblig.

b) d. L. 1. §. 36. ff. de pos. ibi: „Sed, si res sunt, que dividi non possunt, omnes debent tradere, satisfactione idonea a petitore ei præstanda in hoc, quod supra ejus partem est: satisfactione autem non interveniente rem in adem deponi & omnino actione depositarium liberari. Cave tibi persuadeas hoc saltem in deposito ita sese habere, cum eadem ratio subsit, quotiescunque unus ex pluribus Litis Confortibus aliquam rem petit. Quod & inde patet, quia hæc Exceptio plurium Litis Confortium ex persona Actoris est species Exceptionis Legitimationis ad causam, (supra §. 6.) jam vero cessat hæc Exceptio, si ab Actore cautio præstetur. BRUNNEMANN. Tr. de Cessione Act. c. 5. n. 72. MEVIVS P. VII, Dec. 99. n. 2. in not. LVD. VICI

VICI, d. Disp. de Legitimat. ad causam. §. 49. M. D. D.
SCHOEPPF. Cons. Tub. Vol. IX. Cons. 59. n. 35.

- c) arg. L. 29. ff. de solut. LAUTERBACH. Coll. tit. depositi.
§. 22.
- d) Miror hoc in mobilibus concedere LEYSERVM Spec. ad ff.
115. med. 2. 3. in immobilibus vero rem debitam saltem pro rata
restituendam esse eundem affirmare. verb. : „Nomina ipso jure
„divisa sunt inter coheredes. L. 2. §. 2. L. 25. §. 1. ff. fam. er-
„cisc. sed, nonne etiam relique res hereditarie aliquando ipso
„jure divisa dici possunt? Fac scilicet eos à tertio detineri,
„unum vero ex coheredibus dum ceteri per absentiam vel aliam
„causam agere prohibentur, rei vindicationem instituere. Utrum
„illum ab agendo excludemus, an vero integram ei rem adjudica-
„bimus? Neutrum æquum est. Sed, quia res hereditaria ad
„singulos coheredes pro hereditaria portione pertinent. L. 32. ff.
„fam. ercisc. L. 17. C. eod. singuli etiam pro parte in possessio-
„nem earum mittendi sunt. Verum hoc in rebus immobilibus
„tantum fieri poterit. Res vero mobiles que commode dividi
„nequeunt, uni etiam heredi petenti & idonee caventi tradi
„oportet. L. 1. §. 36. ff. depos. At enim vero, nonne res im-
mobiles, æque parum sunt fungibilium loco; An pars in al-
terius locum facilius substitui potest, quam in mobilibus? Et
in quam quæso Lege fundatur hæc distinctio? Annon forte
alterius Cohæredis maxime interesse potest, an hæc potius quam
altera fundi pars ipsi tradatur? Nec rem conficit, si vel ma-
xime ponamus, missionem heic fieri pro indiviso; nam aut mit-
titur Actor in alicujus partis aut in genere in totius rei posses-
sionem, si prius, prior recurrit quæstio & immissio faciendâ
erit in totum, quod sane aliter, quam oblata cautione fieri non
poterit, si posterius, idem affirmari posset, de pluribus rebus
mobilibus. Accedit & hoc, quod non tantum agatur ad im-
missionem, sed ipsa res plerumque petatur; eadem igitur heic
mihi videtur ratio esse rerum mobilium & immobilium.



§. IX.

REGULA III. SI ACTIO DATVR IN SOLIDVM,
VNVS ETIAM EX PLVRIBVS LITIS CON-
SORTIBVS IN SOLIDVM RECTE
AGIT.

In solidum pluribus aliquod jus competere dicitur, quando ita ad singulos pertinet, ut quilibet totum petere possit, adeoque inter plures correos praeventio locum habeat, & prior agens reliquos excludat. *a)* Ubi itaque Consortes sunt Correi credendi & in solidum habent jus agendi, facile patet, ex rei natura unum etiam in solidum agere posse, nec eundem removeri posse Exceptione plurium Litis Consortium. Hoc casu enim nec reliquis confortibus, nec Debitori seu Reo iniqua infertur conditio. Non illis, quia quilibet eorum eatenus saltem habet jus agendi, quatenus à cæteris non est praeventus, si igitur praeviantur, iisdem nulla fit injuria; Non huic, quia & uni ex Correis credendi solvendo liberatur, *b)* nec igitur quicquam habet, quod à reliquis sibi metuat. Hoc igitur casu, si res debita sit fungibilis, sive non fungibilis, semper tota Aetori erit restituenda, etiam idonea cautione non oblata, nec praestita; neque hoc casu multo minus eidem Exceptio plurium Litis Consortium poterit opponi.

a) pr. Inst. de duob. reis. L. 2. L. 3. §. 1. ff. eod.

b) dd. LL. L. 16. ff. L. 2. C. de duob. reis. L. 62. pr. ff. ad L. Falc. L. 31. §. 1. ff. de novat. L. 19. ff. de re jud. L. 24. ff. quæ in fraud. Cred. L. 9. ff. de V. O.

§. X.

ADPLICANTVR HÆ REGVLÆ AD CASVS
SPECIALES, ET PRIMO QVIDEM DIS-
PICITVR DE JURE PERSO-
NARVM.

Hæc jam positis fundamentis, stabilitisque principiis, non adeo difficile erit iudicatu, quando in singulis casibus propo-

tis etiam unus ex pluribus Litis Consortibus recte agat, & quatenus Exceptio plurium Litis Consortium eidem forte opposita, adtendenda sit nec ne? Dispicimus primo de Jure personarum, Triplicem statum esse Libertatis, Civitatis & Familiae vel ex ipsis Institutionibus patet. a) De singulis unum alterumve Exemplum proponemus. Liberos etiam in Germania dari, in oppositione scilicet ad homines proprios, neminem, opinor, lapsum competat, facile patet, semper singulos etiam singulas & ab aliis numero distinctas Actiones habere, adeoque etiam heic unum pro suo statu asserendo, semper solum agere posse. Ponamus jam Nobilem forte aliquem rusticos suos hominum priorum loco habere, ponamus aliquot eorum ex liberali causa sese in libertatem asserere, eosque contendere universos rusticos pagi liberos homines, non servos esse, quari poterit, an, si reliqui non simul agant, sed taceant, Dominus huius Exceptionem plurium Litis Consortium, vel deficientis Legitimationis ad Causam opponere possit? Resolutio quaestionis non admodum difficilis erit. Scilicet, cum singuli heic sese asserant in libertatem, & quisque contendat se esse liberum, quilibet etiam per se habet jam jus agendi. Licet igitur omnibus eadem Actio in genere competat, non tamen omnibus simul eadem Actio numero competat, quilibet igitur per se, licet etiam reliqui fileant, habet suum jus agendi; Nonnullis igitur seorsim agentibus, licet etiam utantur Argumentis quoad omnes stringentibus, cum tamen saltem pro se agant, minime opponi poterit exceptio plurium Litis Consortium, sed Dominus cum his, licet etiam pro reliquis cautionem rati non praestet, tenebitur Litem continuare. (§. 4.) Eodem modo res sese habet quoad reliquos status. Fingamus enim Incolas alicujus suburbii vel pagi sibi arrogare jus Civitatis in aliqua Civitate, cum singulis singulae & distinctae, numero certe, competant Actiones, c) nullum est dubium, quin & singuli agere queant, nec illis metuenda sit Exceptio plurium Litis Consortium. Ponamus porro dubium esse an liberi ex aliqua muliere procreati

sint

DVM,
ON-

quando
, adeo
& prior
Correi
ex rei
a remo-
oc casu
iqua in-
saltem
us, si
, quia
ur quic-
r casu,
r tota
oblata,
io plu-

Fale-
que in

SVS

non
positis



sint legitimi nec ne? unum saltem contra Patrem agere de filia-
tione, *d*) hic certe eidem exceptionem modo dictam opponere
non poterit, & sic porro.

- a) L. ult. ff. de cap. min. pr. §. 1. 2. 3. Inst. de cap. dem.
- b) Sufficiat nominasse HERTIVM de Homin. propriis German.
POTTGIESSERVUM de statu Servor. Germ. BOEHMERVM
Disp. de Jure & statu hom. propr. à servis Germ. non Romanis
derivando. AVG. à BALTHASAR. Disp. de jure hominum
propr. in Germania. Illustr. STRVBEN. Tr. de Jure Villisorum.
Dn. à GOEBEL. Tr. de Jure & Judic. rusticorum for. Germ.
- c) Et his enim utilem competere actionem de Civitate notum est.
B. D. GRASS. Pr. ant. mod. Act. dir. & util. ex mente, §. 19.
- d) L. 5. §. 3. ff. de agn. & al. lib. GRASS. d. 1.

§. XI.

FIT TRANSITVS AD JVS RERVVM, ET PRIMO
MO QVIDEM AD JVS IN RE.

Transio jam ad Jus Rerum, & primo quidem ad Jus in re,
cujus V. species esse Dominium nimirum, Hæreditatem, Pre-
gnus, Servitutem, & Possessionem, dudum exploratum est.
Videamus 1) de DOMINIO; ex hoc rei vindicationem nasci
minem latet. Quod si jam quaratur, num ex pluribus forte
condominis & unus rei vindicationem adversus tertium posses-
sorem recte instituat, an vero eidem Exceptio plurium Con-
fortium opponi possit; ex antecedentibus facile adparebit, di-
stinguendum esse, an vindicentur res fungibiles, an non fun-
gibiles. Si prius quisque regulariter suam partem tantum vin-
dicare poterit, eidemque solidum petenti, recte objicietur Ex-
ceptio plurium Confortium, nisi reliquorum nomine tanquam
Mandatarius agat. Sin posterius, & solus agere poterit, licet
res vindicandæ pluribus consent individuis, seu ut JCTi loqui
amant, speciebus, ita tamen ut intuitu illarum partium, que ad


ad socios pertinent, cautionem idoneam præstet; (supra §.7. 8.) Si enim unusquisque Condominus rem communem applicare potest usibus, quibus res sua natura, destinata est, *a)* & usus rei pro indiviso communis omnibus sociis est communis in solidum, *b)* si porro unus Condominorum in re communi omnia facere potest, quæ Condominis damno non sunt, ipsi autem utilitatem adferunt; *c)* quidni & unus ex illis rem a tertio non domino vindicare posset præstita cautione de reddendis suis Condominis partibus ad eos pertinentibus, cum hoc ipso illorum conditionem meliorem reddat, & impediatur, quo minus res ipsa à tertio forte usucapiatur? Et cur non is, qui revera est Dominus, licet pro parte, melioris esse deberet conditionis intuitu partium ad reliquos Condominos pertinentium, quam quidem tertius, qui plane nullum vel certe infirmius jus habet? Eodem modo res 2) sese habet in hæreditatis petitione, quæ Actio ex secundo juris in re specie, nimirum hæreditate oritur. Non enim dubitandum videtur, quin & unus ex pluribus hæredibus, hæreditatem à tertio vindicare possit, & quidem, si reliqui non simul agant, totam, præstita tamen pariter cautione de communicanda pro rata hæreditate cum reliquis hæredibus, maxime cum in hæreditate semper sint res etiam non fungibiles, & reliquis non agentibus, & forte portionem suam non agnoscentibus, locum habeat jus adreascendi. *d)* Non enim heic agitur præcise ad hanc vel illam rem, licet igitur in hæreditate etiam sint res fungibiles, etiam nomina, quæ ipso jure divisâ habentur; heic tamen non respicitur ad res singulas, sed ad totum illud collectivum, ad totam universitatem rerum, ubi altera alterius vice non fungitur. Quod attinet 3) ad Interdicta retinendæ possessionis, quæ scilicet ex possessione, tanquam jure in re nascuntur; hæc dantur & uni ex pluribus possessoribus, licet & pro indiviso, immo & pro certa parte possideat. *e)* Dantur igitur in solidum, adeoque & unus ex pluribus possessoribus semper agere poterit in solidum ne quidem cautione reliquorum nomine præstita. (supra §.9.)

C

ceptio.

de filia
opponere
German.
MERVM
Romanis
omnium
liorum
c. Germ.
tum est.
§. 19.
PRI
in re,
m, Pi
m est.
ascine
forte
posset
Con-
ir, di-
fun.
vin-
Ex-
quam
licet
loqui
quæ
ad





ceptioni plurium Litis Consortium. Idem dicendum erit, 4) de Actione hypothecaria ex pignore nascente, & hæc enim, ob individuitatem pignoris f) pluribus Consortibus datur in solidum. g) Uti & 5) Actio confessoria, b) ex servitute oriens, propter eandem servitutem individuitatem.

- a) L. 12. ff. comm. div.
- b) L. 6. §. 2. ff. comm. div.
- c) arg. L. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. plu. arc. B. D. FROMMANN. Disp. de Condomin. §. 35. in fin.
- d) §. 5. Inst. de Her. inst. L. 7. ff. de R. I. In genere vero altero litis consortium liti renunciante, ejus portionem alteri cedere statuunt HEESER. de Acquast. Conjug. P. 2. loc. 4. n. 37. B. D. HARPPRECHT. Resp. 4. n. 158.
- e) L. 1. §. 7. ff. ubi possid.
- f) L. 65. ff. de Evict.
- g) L. 19. ff. de pignor. L. 1. C. si unus ex plur. hered. Cred.
- b) L. 4. §. 3. L. 6. §. 4. ff. si serv. vind. Excepto tamen usufructus quia hic est dividuus. d. L. 6. §. 4. ff. si serv. vind. L. 1. §. 9. ff. ad L. Falcid.

§. XII.

DE JURE AD REM, ET QUIDEM ILLO, QVOD ORITVR EX CONVENTIONE SPECIA- TIM EX PACTIS.

A Jure in re transeo ad Jus ad rem, & quidem quatenus hoc nascitur ex Conventione. Hæc iterum est vel Pactum vel Contractus; ne autem justo prolixiores fiamus, Exempla saltem potissima persequemur. Pacta sunt vel nuda vel non nuda, hæc vel legitima vel Pratoria vel adjuncta. Transeant hæc vice nuda, licet, cum hodie, moribus Germanorum, actio-

actionem producant, eadem Regulæ facile applicari possint. Transeant etiam adjecta, quia sunt pars alicujus b. f. contractus, adeoque eandem cum ipso contractu Actionem producant; Quod attinet ad Legitima, ex his, missis hac vice reliquis, potissimum est Pactum donationis, quod producit Conditionem ex Lege. *a)* Ponamus pluribus donatum esse, & unum jam agere ad rem donatam præstandam num aliter decidi poterit, quam secundum Regulas supra traditas, distinguendo scil. inter res fungibiles & non fungibiles, & an promissio omnibus in solidum facta sit, nec ne? Inter Pacta Prætoria eminet constitutum, *b)* unde oritur actio de constituta pecunia; hæc, licet, si plures pro alio constituerint, adversus hos regulariter detur in solidum, ita tamen, ut hi beneficio divisionis sese tueri possint; plures tamen si sint Actores vel unius Creditoris plures hæredes, cum his regulariter actio nisi aliter conventum sit, non detur in solidum, eadem locum habebunt quæ supra (§. 7. & 8.) dicta sunt.

a) scil. ex L. 35. C. de donat.

b) §. 3. Inst. de Act. L. 1. pr. ff. de pec. constit.

§. XIII.

DISPICITVR DE CONTRACTIBVS NON- NULLIS PRINCIPIALIORI- BVS.

Quod attinet ad *Contractus* hi sunt vel Veri vel Quasi, Illi vel Nominati vel innominati; Nominati vel consensuales; vel reales, vel verbalis vel Litteralis. Cum vero temporis ratio non permittat, hac vice omnes perveſtigare, de nonnullis saltem, iisque principalioribus & frequentioribus dispiciemus. Inter Consensuales primus est Emtio venditio, unde Actio emti venditi. *a)* Et cum Actione emti emtor agat vel ad ipsam rem præstandam, vel aliquando ad inter-

esse, priori casu distinguendum erit, uti dictum, posteriori casu autem, cum interesse semper consistat in pecunia numerata, pro parte tantum agi poterit. Contra vero, cum actione venditi venditor primario agat ad pretium consequendum, *b)* res per se clara est, quod regulariter saltem pro parte agi possit, secundum §. 7. Secundus consensualis est Locatio conductio, Actio Locati non multum difficultatis habebit, aut enim agitur ad mercedem præstandam aut ad rem, finita locatione, restituendam, priori casu decisio §. 7. posteriori §. 8. locum habebit. In actione vero conducti quaeritur, num forte unus ex pluribus conductoribus vel unus ex pluribus ejusdem conductoris hæredibus eam instituere possit? Quæstio non est quotidiana, nec difficultatis caret. Interim tamen persuasum habeo & unum ex pluribus Conductoribus, vel & unum ex pluribus Conductoris hæredibus agere posse, ad hoc, ut Locator stet contractui, eidemque rem locatam ad usum concedat. Reliqui enim suo Consorti non possunt inferre iniquam conditionem, neque eidem adimere, jus, quod jam ex contractu habet, quæsitum, *c)* neque etiam ideo, quia forte reliqui Consortes non agunt, Locatori integrum est à contractu recedere in detrimentum unius forte agentis. *d)* Et, uti Locator actione locati compellere potest omnes conductores, adeoque & hunc, qui jam cupit impleri contractum, ut stent præmissis, idem juris videtur huic Actori jam in nostro casu adscribendum esse. Cum partium & contrahentium jura debeant esse reciproca. At, hic Litis consors non tamen petere poterit, ut saltem pro parte Locator stet contractui, cum prædium supponatur locasse integrum & pro indiviso, ne ex altera parte huic iniqua conditio inferatur, hinc necesse erit, ut Consors forte agens, ad totum contractum servandum paratus sit. Porro etiam Locatori erit prospiciendum ne etiam ab aliis conveniatur, vel ne forte cum uno, cujus forte facultates non adeo magnæ sunt, teneatur continuare contractum cum suo incommodo; hinc hoc casu cautio erit præstanda, non


non saltem de parte forte communicanda cum reliquis, sed etiam de præstandis ex integro omnibus illis, quæ forte, ex natura contractus, Locatori debentur. e) Quod attinet ad *tertium* Contractum Consensualem, Emphyteusin, nullum subesse videtur dubium, quin Regulæ supra traditæ in eodem locum habere possint; At in *quarto*, societate nimirum, r̄ paulo aliter sese habere videtur. Sociorum enim, quotot sint, singuli singulas habent Actiones, & quilibet sociorum adversus reliquos solus agere potest, adeoque huic nunciam ab uno forte Socio exceptio plurium Litis Consortium poterit opponi, sed heic illa potius obtinebunt. quæ ad §. 4. dicta sunt. Quodsi vero plures alicujus focii hæredes sint, in illis locum habebunt, regulæ supra traditæ, cum hi numero eandem habeant Actionem, & vera Consortes sint. *Quintus* denique contractus Consensualis est Mandatum, in quo eadem Regulæ obtinebunt, siue plures sint mandatarii, qui tamen idem negotium mandarunt, siue plures unius hæredes. f) Ad REALES quod attinet, mutuum semper supponit res fungibiles, adeoque Regula supra §. 7. tradita, in hoc semper obtinebit. De Deposito nihil est, quod solliciti simus, cum ipse textus supra cit. de hoc contractu agat. Cum tamen in Contraria actione Depositi, uti in omnibus reliquis, agatur saltem ad indemnitate, adeoque plerumque non nisi pecunia numerata, tanquam res fungibilis, ejus objectum constituat, hoc casu locum habebit id, quod §. 7. dictum fuit. Nec in Commodato aliud dicendum erit, neque etiam in pignoratitia actione quia, quoad hoc tertium ubique eadem subest ratio. Præterea etiam non ambigendum esse videtur, idem locum habere in contractibus innominatis, & in quasi contractibus, in omnibus enim eadem Regulæ applicabiles erunt. Hinc intuitu conventionum hoc unicum addere liceat, quod, cum in obligatione faciendi semper tacita quædam novatio subit, ut Actor saltem ad interesse agere possit g) interesse autem pecunia numerata æstimari solet, his casibus semper Regula, §. 7. tradita efficaciam suam habeat.

C 3

a)

steriori
nume-
actio-
equen-
n pro
lis est
tis ha-
rem,
poste-
quari
unus
e pos-
caret.
Eori-
eredi-
rem
pos-
jus,
ideo.
n est
i. d)
con-
tra-
n in
ium
men
ui,
ne
it,
pa-
am
ia-
am
a,
on





- a) §. 1. Inst. de emt. vend. L. 11. pr. & L. 13. §. 19. ff. de Act. emt. vend. L. 1. ff. si pars hared. per.
- b) L. 13. §. 20. ff. L. 6. L. 13. C. de Act. emt. & vend.
- c) STRYK. Disp. de facto Jud. de facto. c. 2. n. 81. seqq. & n. 9. seqq. B. D. G. F. HARPPECHT, Cons. Tub. Vol. VII. Cons. 76. n. 29. & passim.
- d) Cum Locatio au. haredes transeat nisi forte ad dies vitæ conductoris vel expresse vel tacite conventum sit. LEYSER. spec. ad ff. 220. n. 10.
- e) Locator enim proprie invitis reliquis unum ex pluribus Continualset, hi tum locatorem præferre nequit, & si etiam cum uno actione communi dividendo convenire possent. L. 7. §. 10. ff. comm. div. LEYSER. spec. ad ff. 216. n. 10. & 11.
- f) LAVTERBACH. Coll. tit. Mand. vel contra. §. 20.
- g) L. 7. ff. de præscr. verb. L. 13. in fin. ff. de re jud. L. 44. §. ult. ff. de O. & A.

§. XIV.

FIT PAUCISSIMIS TRANSITVS AD
DELICTA.

Sequuntur tandem Delicta, ex quibus, cum plurimæ oriuntur Actiones, sufficiat saltem in genere hoc notasse, quod, cum aliæ Actiones ex Delicto sint rei persecutoriæ aliæ pœnales, a) rei persecutoriæ autem aliquando dentur ad aliquam rem in specie petendam, aliquando ad interesse vel & æstimationem, semper heic distinctio supra §. 7. & 8. proposita attendenda sit. Contra vero; cum pœnales semper dentur ad aliquam pœnam pecuniariam, adeoque ad rem fungibilem petendam, ordinariè heic locus sit Regulæ §. 7. exhibitæ.

- a) L. 35. pr. ff. de O. & A. junct. L. 7. ff. de serv. export.

§. XV.



§. XV.

CONCLUSIO.

Habes heic B. L. principia Thematis, quod in foro, uti mihi quidem persuadeo, frequentem usum habet. Haud difficile fuisset idem Thema ulterius prosequi, immo forte non abs re fuisset plures quaestiones, quæ circa idem occurrere possent, proponere ac resolvere; sed prout dictum, & temporis & chartæ ratio est habenda, maxime cum Nöbilis. Dn. RESPONDENS præter opinionem, discessum suum maturare cogatur. Hinc filum heic abrumpendum est.

F I N I S.



CONCLUSIO

In hoc libro de principiis philosophiae
 et de rationibus et de sensibus et de
 de actibus et de habitibus et de
 de virtutibus et de scientiis et de
 de moribus et de legibus et de
 de iusticiis et de iudiciis et de
 de rebus et de personis et de
 de locis et de temporibus et de
 de causis et de effectibus et de
 de principibus et de finibus et de
 de mediis et de modis et de
 de gradibus et de speciebus et de
 de generibus et de speciebus et de
 de individuis et de partibus et de
 de totalibus et de partialibus et de
 de simplicibus et de compositis et de
 de simpliciter et de simpliciter et de
 de simpliciter et de simpliciter et de
 de simpliciter et de simpliciter et de



J
 P. 440
 JO



Tübingen, Diss., 1763-67

ULB Halle

3

005 847 915



VD18

TA → OL





Pr. 10. num. 6.

RIDICA INAVGVRALIS
DE

VRIBVS LITIS
VS SVO, NON
ENO NOMINE
GENTE,

1766, 1.

QVAM

INTER IVVANTE
MITTENTE
CONSULTORVM ORDINE,
RESIDE

17

CHRISTOPH. CANZ,

ROQUE PROF. PVBLICO ORDINARIO,
CIS WVRT. CONSILIARIO,
RIDICAE h. t. DECANO,

LICENTIA

ROQUE IVRE HONORES
CAPESSENDI



PT. A. MDCCLXVI.

L. L. Q. C.

E DEFENDET

A BURCKHARDT, *Rothwilenfis.*

DIS LVDOV. FRIEDR. FVESIL.



B.I.G.

Farbkarte #13